





DE  
TRANSMISSIONE VOTI <sup>395</sup>  
IN  
COMITIIS S. R. I. COMPETENTIS  
DISSERTATIO 1785, 9

QVAM  
ILL. ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

VT AD  
SVMMOS VTRIVSQVE IVRIS HONORES  
ADITVM SIBI APERIAT

D. VI APRIL. A. CICDCCCLXXXV

DEFENDET

AVCTOR

ADOLPHVS FELIX HENRICVS POSSE  
SONDERSHVSEN. SCHWARZBURG.

GOETTINGAE

LITTEEIS IOANN. HENR. SCHVLZII, ACAD. TYPOGR.

6. corrig. amicis plurimum coleandis  
propter quam ea quae mihi doctiss. Tuam de transmiss. v. in con. p. f. b.  
legenti dubia obuererunt tecum communicem, non possum non quin  
bi sumnos in istis. tunc horrores hodie adiutus erdos ex animo gratibus.  
At enim uero Dubium mihi non est, ut pro ea quae diu inter nos  
fuit, amica conjectudine haec conuictus sis, & remaneat. Tibi profere  
alg. exceptata eueniunt magis grata ag. accepta offi posse quam mihi  
ut animi mei diffidenti, laetitiae pluribus interpretari omnino superueat  
neum esset. Propterea propleagueam pro tua incolumente pia uota re-  
cupavi. Se uis praecocibus iterum atq. iter. valere ref. Tuis felicitate ag-  
iabes etiam alg. etiam rogans, ut benevolentiam erga me Tuam con-  
seruer tantum. de animo meo & voluntate pollicare quantum  
virtus tua possit. Ego, quae meae erunt partes operam offi  
deinde dabo, ut neg. de tua erga me benevolentia negue de mea  
Se obserualia rubore unquam afficiare.

Dicitur Tuas, quib. dubiis meis occurrissi responderis id efficerent ut salu-  
cam facta illa problema illa historica, quae propter velutalem ut illa dicam religi-  
osa note praeuertit, non amplius uigore alg. in iis, quae singulari in rebus patris  
candidione mihi opposuisse, acquiescere. Cuid reliquum est bene uale me, in iis uita  
ra, qui humanitatem ac doctrinam Tuam maximam strang. artie colunt, quique in  
ri a Te sumnopere expelunt. Operintur Tibi persuader velim, me insitum Tuae eripi  
callorem esse non simulacionem nullam, organum tenet foris quo tuas erga me benevolen-  
tiae memoria moniles. Et bone quod te virtus Tua vocat, & pote facit.

ADHERSIVAS. SCIRIA RESURGAT.

LIBRARIUS LOUIS. HENR. SCHULZI

SERENISSIMIS ET CELSIS SIMIS RIB

FRATRIBVS

HOCES QVATVOR TERRITORIORUM ACADEMICORVM  
DOMINO

GVNTHERO ALBERTO  
AVGVSTO

NEC NON

DOMINO

IOANNI CAROLO  
GVNTHERO

S. R. I. PRINCIPIVS SCHWARZBURGI, E QVATVOR  
COMITIBVS IMPERII, COMITIBVS HOHENSTEINII,  
DYNASTIS ARNSTADII, SONDERSHVSAE, LEVTENBER-  
GAE, LOHRAE ET KLETTENBERGAE,

RELIQVA

PRINCIPIBVS AC DOMINIS SVIS  
CLEMENTISSIMIS

HOCCE QVALECVNQVE ERVDITIONIS ACADEMICAЕ  
SPECIMEN

DEVOTISSIMO ANIMO  
OFFERT

JOANNI CARLO

GANTHERO

ET REX PRINCIPIAS SCHWABIAE ET GAVTAOR

COMITIAS IMPERII COMITIBAS HONESTINUS

DUCATAS ANNALPS SONDHEIMAE LEGATINER

AVCTOR ET RIFTERINGAE CAP

## CAPITA LIBELLI.

- §. I. Quaenam nobis de Transmissione et Voto s<sup>e</sup>deat sententia.
- §. II. An vota in comitiis S. R. I. competentia pro realibus censenda sint nec ne?
- §. III. De nota characteristica status.
- §. IV. De votis praeprimis ecclesiasticis secus ac olim realibus.
- §. V. Quo modo vota procerum imperii quondam personalia, realia facta sint.
- §. VI. Transmissionis voti cum iure succedendi in territoria connexas et quidem tum, cum proceres officiales regum erant.
- §. VII. Eiusdem argumenti continuatio.
- §. VIII et IX. De modo transmittendi vota ab ea inde tempestate, qua proceres indubitate iure succedendi gaudere coepervunt.
- §. X. Olim ponderabantur vota, non numerabantur.
- §. XI. Inde ob plura unius sceptro supposita territoria unicum duntaxat votum latum est.
- §. XII. Quas ab caussas consuetudo eiusmodi immutata sit, et de immortalitate votorum.
- §. XIII. De modis quibus vota iam perennia transmitti solent.
- §. XIV. An votum etiam allodio cohaerere possit et quid circa transmissionem eius obtineat, si territorium cui votum annexum est, ex diuersis tam feudalibus quam allodialibus coaluerit tractibus?

A 3

§. XV.



- §. XV. Eiusdem argumenti continuatio.
- §. XVI. Quid iuris sit circa exercitium voti, si successor in territoriorum diversarum ab eo additus sit religione?
- §. XVII. Continuatio huius disquisitionis.
- §. XVIII. Transitus ad vota Reces. Imp. d. a. 1582. recentiora.
- §. XIX. An et ea pro realibus reputari possint?
- §. XX. Cum plurima eorum variis sub restrictionibus et conditionibus concessa sint, eorum transmissio quoque ab iis earumque implemento penderet.
- §. XXI. De extensione voti, ad certam lineam restricti, ad aliam haud permissa.
- §. XXII. De voti realis ad quoscunque extensione non prohibita.
- §. XXIII. De remediorum ad ius suffragii persequendum comparatorum cauto vsu et non vsu.

§. I.

§. I.

**T**ransmissio dupliciter in jure accipitur, proprie sumta inuoluit actum, quo quis non proprio jure, sed tanquam heres alterius, cui primario hereditas aut pars eius delata est, ad hereditatem seu partem istam admittitur; vulgo sic describitur, vt sit quaedam successionis prorogatio eiusdem formae & naturae. a) *Impropria ea est, vi cuius res quaedam, vt priuilegium, contractus, quocunque titulo, non ex tertii, sed proprio iure adquiritur, quae etiam Transition nominari solet.*

Ex diuersis igitur, qui Transitionem operari possunt tuis, e. gr. emti &c. transmissionem impropriam, quae ex iure succedendi descendit, in sequentibus plagulis tractandam, elegimus.

*Votum autem, obiectum transmissionis nostrae, post habitis aliis significationibus, pro iudicio de re quadam declarato accipimus, cuius vis et efficacia a iure istius pender, cuius iudicium expetitur. Nobis hic sermo est*

a) *Noal de transmissionibus in Prooem. n. 2 cum Baldo in L. 3 C. de hered. instit. n. 5.*



est de votis comitalibus, quibus status (ut coimperium illud intactum linquamus) ad regimen imperii Germanici concurrunt.

### §. II.

Votum tale ab initio in reale et personale dispescimus, cuius distinctionis fundamentum, cum et iis, qui extrema tantum vestis amplissimae Themidis nostrae exosculati sunt, perspectum esse confidamus, absque ambagibus rem ipsam ordinum. Primum igitur disquirenda se offert quaestio; an in regula vota, quibus status in comitiis gaudent, pro realibus censeri possint, an fecus? Vota quod attinet ecclesiastica, sole clarius est, ea virtute territorii possessoribus competere, quia et sede vacante eorum exercitium a capitulis, quae tamen territoriis investita non sunt, continuatur; ad seculares status nos conuertentes, aequo minus, quin ea regulariter realia praedicemus, haeret dubium, cum una cum territoriis, aut eorum partibus ad quoscunque transire videamus possessores, de quo tamen paulo inferius aptior differendi locus erit. Neque ita sentire erubescendum est, cum diserta legum verba nostrae adstipulentur sententiae; sic aurea bulla c. 20. ius suffragii et praerogativa electoralia territoriis quibusdam annexit, capitulatio autem Ferdinandi IV. art. 45. quem et in recentioribus repetitum legibus capitulationibus nec non R. I. N. §. 197. quoad reliquos ut votum et sessionem in comitiis consequantur, bona immediata principe digna desiderant.

### §. III.

Hoc est quod celebres DD. iuris publici in errorem abripuit, vt territorium immediatum tanquam essentialē  
ad

9

ad jus suffragium ferendi desiderauerint, eoque ipso hoc  
requisitum notam characteristicam status sibi effinxerint,  
cum tamen huic juri tanquam naturale tantum adesse  
soleat. Quid quaeso, si eorum sententia vera esset,  
cum iis faciendum erit statibus, qui neque territorio-  
rium b) neque superioritatem c) habent, et nihilo se-  
cias jure suffragia in comitiis ferendigaudent? forsitan ex-  
empla ejusmodi, exceptiones a regula esse, regeres? quod  
omnino verum esse duco, cum naturale illud deficiat, quod  
regulariter hoc jus comitari solet, eo ipso tamen nota illa  
characteristica infringitur, quam dissentientes in possessio-  
ne territorii immediati inuenierunt, et id tantum restabit,  
ut eam potius in ipso jure suffragandi contentam esse cen-  
seamus d). Veritati hujus sententiae eo maius robur ac-  
cedit, quo certius in Germania possessores territorio-  
rum immediatorum reperiuntur, qui nihilominus hoc ju-  
re carent, et qui, si territorium immediatum nota char-  
acteristica status esset, statibus omnino adnumerandi es-  
sent. e)

#### §. IV.

b) e. g. Archiepiscopus Bisantinus et episcopus Curiensis.

c) e. g. Episcopus Brixiensis, princeps Auersbergensis et comi-  
tes Stolbergenses.

d) Nobiscum facit P AVERMEISTER de Iurisdictione L. I. C. 6.  
n. 2. qui eam in sola r̄is d̄ḡx̄is poliūtūs novaricis contentam  
esse censem. Prolixiore autem de charactere statuum nuga-  
rum narrationem qui desideret, audeat IO. WILH. ENGEL-  
BRECHTVM de nota characteristicā statuum imperii, qui eam  
in sola immediatetate aut superioritate territoriali querit.

e) REINKING de regimine Secul. L. I. Class. IV. C. I. n. 30. sq.

ral fore aliquando vel ad conferendas aliquae B pro suffragatione camerae imperialis summanas offi-  
fione. i. Hoc volum inde ab a. 1676. apib. protocolli aliquip autorib. De agri vobat  
De agro Curiensi idem fore valit. Apies enim dilaciones aliquam ff. vobat. Helas  
licem a Gen. imp. duellerent circulo sue. adscriptor fuisse constat - Apies volum inde  
ab a. 1548 ff. 1670. queant.

ebep. V. p. 1. licen  
pt. pacem diffidit;  
patur imp. manific

creo quid e matr.

ala camere impie-

rendus sit Chap. VI.

non satis qd ius fideis

gero. iste fidei adam.

elloc ex ea laal. ra-

lione fidei fuit, quic-

nalla fidei fuit fides

§. IV.

Vt autem ad naturam rei caute dijudicandam, ejusdem originis indagatio maximam præbere solet vtilitatem, ita et praesens, quid circa vota eorumque transmissio nem justum sit, disquisitio, multum lucis ex vetustissima votorum origine et indole foenerabitur; opera et preium igitur esse duxi, pristina nostris adnectere temporibus et ab ultima origine filium hujus tractatiunculae deducere.

*Fregor. Turon. lib. q. c. 20.* Formula regiminis Germaniae ab iis inde temporibus, in quibus in civitatem coalescere coepit, monar-  
chico qui aen. inde chia fuit, ita tamen limitata, ut reges, ne injuriae notam  
civicas corruperent, incurrent, ingenuorum luorum subditorum consensum  
spendiffi: Si quis de nobis o leti cibilia ha-  
milioris vobis erit, Tum, cum reges ex gente Francorum Germaniae impe-  
rarent, certum quam quod certissimum erat, tam episco-  
pos quam nobiles virtute munera et dignitatum, qui-  
quis te condonabili bus exornati erant, conuentibus et placitis generalibus  
interfuisse, ideoque tunc temporis vota mere personalia  
tuenda fuit.

fuisse. Nam si ad extrema, quorum in litteris seruata est memoria, recurrimus tempora, jam clericorum ordinis,

ceu dirigentis comitia, injicitur mentio e), cuius autoritas succelut temporis non solum non imminuta est, sed si ve-  
locius congregetur a fateri liceat, ampliora potius incrementa cepit; Chri-  
stiani enim sacris exterorum studio in Germaniam illatis  
mili vocari possunt episcopi non solum comitiis interesse contingarunt f) sed  
eighthode comitiales conficerionum sic dicunt, que in eis sumbaro fiant: ac comitia enim et  
tempore requiriunt ut perforce, que in eis conuenient parva administrationis regis et curorum maiorum  
sabeant, et eorum vota e) TACITVS de mor. Germ. c. VII et XII ibi, silentium per lacer-  
dotes, quibus tum coercenti jus est, imponitur.  
folleant et deciderent a) Prologus Leg. Alamann. Lex Alamannorum quae temporibus  
recedere possit. Si enim Chlotarii regis, una cum principibus suis, id sunt XXXIII episco-  
pae quae modo dicta sunt non ad comitiae requirentes, quomodo comitiae a quilibet ab  
populo conuertere delinquerent?

qui archiepiscopatus seu metropolitae et episcopatus seu dioecesis, pecularis tot quod dubitatur  
marchionatus, eadem ratione suu cuiusq. platus esse territorium intelligebatur ut  
qui platus ecclesiasticus et secularis, ~~sol~~ <sup>et</sup> sollicium territoria ecclesiastica et parochia  
ure et vicinum quod territoria, sol platus essent.

prae caeteris docti et temporis superstitioni inservientes.

veterem illam dictaturam retinuerunt g). Vota autem haec-

§. 2. ce ecclesiastica mere personalia fuisse, quis ibit inficias? *San Gallo. Et Me.*  
cum territoria iis deessent, quibus cohaerere potuissent; *monachorum temp. fin.*  
Ea ipsa autem superstitionis autoritas, qua potestatem se *dali erant episcopat*  
*cularum irretitam suppressamque tenebant, effecit, ut im-* *Chor. Beau. Col. Sici.*  
*peratores et alii sacro velut oestro perciti, beneficiis et* *Confund. Augst.*  
*donis in eos quasi irruerent, seque ipsos ad incitas peno* *Lengg. Pomer. Salz*  
*burg, Salzb. Passat.*  
redigerent h). Postquam deinde pedetentim episcopi et reli-

B 2

pis, XXXIV ducibus et LXXII comitibus et cetero populo  
constituta est, apud GOLDASTVM T. II. Rer. Alam. p. II,  
adde Capitul Carol. M. Aquigran. d. a. DCCCIV.

g) Vides illud exemplum, occasione divisionis paterni regni  
post mortem Lotharii fratris, inter superstites Ludovici pii  
filios, quod ex Nithardo de diffusionibus filiorum Ludouici P.  
C. IV. (apud KVLPISTIVM T. I. Script. Rer. Germ. p. 104)  
sqq. LEHMANNVS in Chron. Spirensi L. II. C. XV refert:  
et primo quidem visum est, ut rem ad episcopos sacerdotesque,  
quorum aderat maxima pars, conferrent, ut illorum consultu,  
VELVT NUMINE DIVINO harum rerum exordium atque  
autoritas proderetur. Et paulo post ibid. Solito more ad epis-  
copos sacerdotesque rem referunt, ut quoconque DIVINA AV-  
TORITAS id vertere vellet, NVTV IPSIVS LIBENTIANI-  
MO PRAESTO ESSENT.

h) HELMOLDVS in Chronicō Slavor. L. I. C. 4. Sed jam ante  
Carolingorum tempora Hilpericus rex ita de hac immodi-  
ca antecessorum suorum liberalitate conquestus est. Ecce di-  
vitiae nostrae ad ecclesias sunt translatae. Nulli penitus nisi  
episcopi soli regnant: perit honor noster et translatus est ad  
episcopos civitatum, apud GREGORIVM TVRONENSEM  
in Histor. Francor. L. VI. c. ult. Cui consentit Henricus IV  
in-



reliqui terrarum ecclesiasticarum possessores, possessiones suas jurisdictioni et superioritati ducum et comitum subtraxerunt, imo se ipsos judices illis obtruserunt, i) non fieri potuit, quin munus seculare ecclesiasticum absorberet, et ii qui olim intuitu munieris sacri in comitiis sessiōnem et votum habuerant, nunc, tanquam domini territoriorum haud exiguorum, comitiis interessent.

### §. V.

Ob ea quae dixi, mirandum igitur non est, si populum adhuc sub stirpis *Salicae* regimine, in placitis generalibus compertum esse, legimus k), quae tamen consuetudo ob varia

inquiens: *Ecce isti sunt qui regni mei divitias habent et me meosque in paupertate reliquerunt in BRVNONIS Histor. Belli Saxonici apud FREHERVM T. I. Rer. Germ. Script. p. 196.*

i) Consule, si lubet, LEHMANNVM in Chron. Spir. L. II. C. XXXIV.

k) Negat quidem IO. AD. KOPP. de insigni differentia inter S. R. I. comites et nobiles immediatos Sect. II. §. II p. 179 fqq. mediatos unquam in comitiis comparuisse, jureque suffragii gauifos esse, quia ad suffragium illud requiratur ut civis aliquod de summa participet potestate, quoinde simul appareat sub voce *Populi*, hinc inde obueniente, non homines et triuio sed capita populi (quorum a scriptoribus istorum temporum sub appellatione *Primorum* et *Optimatuum*, si de comitiis et placitis generalibus referunt, mentio fit,) comprehensa esse. At quis non videt Koppium in eo errasse, quod optimatibus, qui non vt hodie proprio jure prouinciis pracerant, plus juris quam iis vere competiit, tribuerit, qui, licet regio nomine intermedii essent, subditos suos non ita a rege fecernebant,

vt

varia incommoda, quae ei non poterant non inesse, successu temporis exoleuit et in alium consultandi modum degenerauit. Duces enim et comites, prouinciis a regibus, tam ad rem militarem quam judiciariam et pecuniariam administrandam, praepositi <sup>1)</sup>, tunc quoque, quum popu-

B 3

lus

ut non uti in aliis iuribus e. g. *jurisdictione*, immedietas quae-dam permanserit. Hoc quidem negari nequit, saepius, si de comitiis sermo est optimatum, quam populi mentionem fieri, id tamen ea non debilitas testimonia (quae larga manu collegit SPENER in *Iure Publ.* T. II. p. 261 T. III. p. 220) quibus et populum comitiis interfuisse, convincimur. Primum enim ex tan-ta multitudine ii duntaxat enumerati sunt, qui alias autoritate anteibant, jureque praedeliberandi vtebantur, deinde placita generalia a particularibus seu curiis, quas soli principes consti-tuebant, cautiis distingui debuissent.

- 1) Memorabilis est formula VIII MARCVLFIL I. in qua *actio comitatus, ducatus* alicui sequente tenore committitur: *Ergo dum et fidem et utilitatem tuam videmur habere compertam, ideo tibi actio-nem Comitatus, Ducatus, Patriciatus in pago N. quam antecessor tuus N. usque nunc visus est egisse, ad agendum regendumque commisimus, ita ut semper erga regimen nostrum fidem inliba-tam custodias — et quidquid de ipsa actione in fisci ditionibus seperatur, per vosmetipos annis singulis nostris aerariis inseratur. Consulas quoque VADIANVM de collegiis monasteriisque in Germ. veteribus apud GOLDASTVM T. III. Rer. Alamann. p. 25. n. 1. sqq. Ut autem duces et comites pro dignitate vi-vere possent, beneficiis aliquot muneribus annexis fruebantur. EKKEHARDVS LVNIOR de Casibus monasterii S. Galli apud GOLDASTVM T. I. p. 18. Suevide principium assensu statui-tur Alamannis dux primus Burkhardus gentis illius nobilissimus et virtutum dote probatissimus; cui praedia damnatorum (Berch-toldi et Erchingeri Sueviae comitum) confiscata, in beneficium sunt tradita.*



lus eos ad comitia comitaretur, soli fere consultationibus, quas praeconsultationes nominare solemus, intererant, populumque sibi subordinatum, ut fieri solet, in omnibus consentientem habebant. Euenit inde, ut faciliorem commodoremque viam, haud renitente, sed acclamante potius populo, viarum incommodis pertaeso, eligerent, hanc scilicet, ut soli quidem ad comitia proficerentur, antehabitis tamen coitionibus prouincialibus, in quibus communis consilio rationem rerum in comitiis gerendarum iniuerant, ex quo subconsultandi more statuum prouincialium origines non inepte colligi posse mihi persuadeo. Si igitur haec vera sunt, vti vere sunt, quis non videt, ab eo tempore, quo proceres soli, subditos suos repraesentantes, comitia visitarent, vota quae ferebant, prouinciis quibus praeerant, connexa facta esse, i. e. talia qualia hodie realia praedicare solemus.

## §. VI.

Quum duces et comites quibus post comites Palatini, Marchiones, Landgravii accesserunt, non proprio, sed regio nomine actionem ducatus e. c. administrarent, hinc iure suffragii ut accessorio muneris sui fruerentur, intellectu haud difficile erit, quantum iis ex causis illa et nostra ratione successionis inter se distare debeat tempora. Eo difficilius autem ex variis his vicissitudinibus, ambagibusque ad praesentem rerum deueniendum erit faciem, quam iterum, devoluto illo, si Dis placet, filo Ariadneo, sua laborare incertitudine inveniemus. Ignoscendum igitur erit iavenni ingenio, per opaca viarum erranti, si hu-

humanī quid ei contingat, quod et centies millies eo docti-  
ori accidere potuisset.

Ex eo quod proceres territoria quibus praeerant, non  
iure hereditario, sed tanquam administratores regii rege-  
rent, sponte fluxit sua, morte eorum et ius intuitu mu-  
neris in comitiis comparendi extinctum fuisse, et ab ar-  
bitrio regis, cuinam denuo vacuam prouinciam credere  
vellet, peperdiffe. *m)* Res tamen mox eo deuenit, ut  
liberis nobilium ius quasi hereditarium in munus pater-  
num competere cooperit, utque rex qui absque iusta cau-  
sa eos a munere tali arcebat, pro injusto ac tyrranico di-  
vulgatus sit, imo non raro liberi ita praeteriti, subditorum  
suorum auxiliis fulti, ius quod sibi competere credebant, vi  
atque armis prosequuti sint. *n)* Caussa huius immutati-  
onis non ex longinquo petenda est, nobiles enim, ut  
fieri solet, quantum poterant muneribus suis utebantur  
et qualicunque modo res proprias sibi comparabant, quibus,  
si nonnulli *ex* una eademque familia successores in offici-  
um fese exceperant, amplissime inde accrescebat patrimo-  
nium. *o)* Quo factum est, ut praeter talem familiam nul-  
la

*m)* de quo exempla Exducum et Excomitum ab ANT. DAD. ALTES-  
SERA de ducibus et comitibus Galliae prouincialibus, collecta,  
testantur.

*n)* LAMBERTVS SCHAFNAE. a. a 1044.

*o)* Chron Vrspurg. p. 157. Concurrentibus autem undique ad regem  
proceribus, venit et vir ditissimus Sueorum dux Herimannus,  
qui talibus est regem aggressus sermonibus: Non clam domino  
meo est, me praediorum latitudine ac pecuniarum uniuersitate pra-  
diuitem esse, nec est praeter unicam filiam meam parvulam  
qui



la alia existeret, quae pari dignitate et splendore vacan-  
tem gerere potuisset dignitatem, utque nexus feudali plu-  
res sibi deuincirent vasallos, qui cum reliquis, si paren-  
tes non sine laude, aequitate et gravitate prouinciae  
praefuerant, eos contra quemcumque tuebantur inva-  
rem. P) Accedit et hoc, ut id, quod in regia familia ae-  
quum<sup>is</sup> effet, ut ex ea regia dignitas non egrederetur, q) et  
in ducalibus et aliis nobilibus familiis iustum esse, et  
liberi nobilium ipsi et subdit*i* eorum reputarent.

### §. VII.

Praegnantior adhuc restat ratio, cur nobilium poste-  
ri dignitatibus non exciderent, sed plerumque parentum  
suo.

*qui mearum heres rerum existat, me excedente. Placeat itaque fi-  
lium tuum Luitolfum mihi adoptare in filium, quatenus unicae meae  
filiae coniugio copulatus, mearum rerum hereditate fiat magni-  
ficus. Placuit regi consilium ducis et quod poposcit sine dilatio-  
ne compleuit. In breui post hic sacer moritur, cum DVCATV  
omni possessione derelicta genero.*

p) *Annales Franc. Fuldenses a 884. apud FREHERVM T. I. p. 56.  
HERMANNVS CONTRACTVS a 1019.*

q) Vsque ad Henrici V. tempora regia dignitas hereditaria cen-  
sebatur, quod ex pactione eluet, quam cum Rudolphum Sue-  
viae ducem in regem eligerent. Sueuos et Saxones inter se ini-  
isse refert BRVNO in *Histor. Belli Saxon.* apud FREHERVM t.  
I. p. 212: *Hoc etiam ibi consensu communi comprobatum, Ro-  
mani pontificis autoritate est corroboratum, ut regia potestas  
nulli per hereditatem (sicut antea fuit consuetudo) cederet, sed  
filius regis, etiam si valde dignus effet, per electionem spontaneam  
quam per successionis lineam Rex proueniret: si vero non effet  
dignus, vel si nollet eum populus, quem regem facere vellet, ha-  
beret in potestate populus. Parum autem hoc pacto profe-  
runt teste Chron. Vrsberg a 1193.*

❧

fuorum subintrarent locum *r)* imo viduae filiaeque mari-  
tis suis dotis nomine ducatus et comitatus inferrent *s)*  
quae haec est, quod bona allodialia ita cum feudis impe-  
rii commixta essent, ut omnes eorum desperarent sepa-  
rationem defugerentque. *t)* In maiores dehinc delabimur  
difficultates si plures aderant filii, quibus aequale ius ad  
vnum idemque consequendum competebat, aut si filius  
minorennis erat, cui ob aetatis imbecillitatem munus  
concredi nequibat. His enim obvenientibus, obseruant-  
ia medii aevi parum sibi constat, cum priore in casu mo-  
do a rege dignior ex pluribus eligeretur, modo a populo,  
cui et tunc, si stirps mascula deficeret, ducem sibi eligen-  
di jus competebat, *v)* is parenti substitueretur, qui eum  
sibi

*r) HINCMAR, Epist. 3.* apud LEHMANNVM in *Chron. Spir. L.*  
II. C. XVI. ibi: *De his quos tempore domini Ludouici impera-*  
*toris vidi palati procuratores et regni praefectos, neminem scio*  
*superflitem, scio tamen de illorum nobilitate natos pro patribus*  
*filios, licet illorum mores ac qualitates ignorem.* *Ipsi vero pro*  
*curent ut non sint moribus et virtute degeneres, quatenus merito*  
*patrum loca et officia suppleant, et se in ipsa sua suppletione*  
*caute custodiant.* Cf. *Legem Baiuariorum Tit. XX. L. 3.*  
*IO. GEORG ECCARDVM ad Prologum legis Salicae sub vo-*  
*ce: Chadoin, Domagno.*

*s) Contin. Chronic Reginonis a. a. 826 nec non GODOFREDI*  
*monachi Annales a. a. 1195 apud FREHERUM T. I. p. 360.*

*t) III. PÜTTERI Beytraege zum teutischen Staats und Fürsten-*  
*rechte T. I. p. 115. n. 13 sqq.*

*v) Lex Baiuar. T. II. C. I. n. 1: dux quem rex ordinavit in pro-*  
*vincia aut populus sibi elegerit. adde DITMARUM Merseb.*  
*L. 5. apud LEIBNITIUM T. I. Rerum Brunsvicens. p. 368.*

C



fibi conciliaverat amicorem *w*), saepissime autem ei, cui natura aetatis praerogativam tribuerat, prouincia demandata est *x*). Tunc doneque si filius aetatem pupillarem nondum egressus erat, plerumque a rege, eo praeterito, prouincia aut pago alius inuestiebatur *y*), interdum tamen reges aequiores, per comites palatii aut proceres prouinciae, prouinciam rectore carentem vsque eo administrabant, prouentusque ex ea redundantes suos faciebant, donec minor, cuius interea educationis curam egerant, maiorennes euaderet *z*), quo inde celebrem illam tutelam fructuariam enatam esse, a verosimili non abhorret. *a*)  
Hoc

- w*) DITMAR. MERSEB. L. IV *Annal.* sub Ottone III: *filius Henrici ducis Bajoariorum, electione et auxilio populi bona patrii apud regem obtinuit apud LEIBNITIVM T. I. p. 352,*
- x*) Chron. Vrspurg sub Conrado I. p. 149: *Ex eiusdem Saxoniae gentis stirpe vir nobilis est egressus Luitoldus, hic habuit duos filios Brunonem et Ottонem quorum maior Bruno, cum totius Saxoniae ducatum ADMINISTRASSET exercitum contra Danos duxit, ibique occisus, ducatum fratri Ottoni reliquit. cf. omnino Codicem LL. Normann. C. XXVI. §. 5. 7. 13. 14. apud LVDEWIG in Reliq. Mst. T. VII. p. 207.*
- y*) Annales Metenses a. a. 867. *Odo ct Robertus filii Roberti adhuc parvuli erant, quando pater extinctus est, et iccirco non est illis ducatus commissus. HERMANNVS CONTRACTVS a. a. 1012.*
- z*) Codex LL. C. Normannic. C. XXXII. §. 9. 10. apud LVDEWIG I. c. p. 213.
- a*) Cuius, quod mireris, adhuc seculo XIII vestigia occurunt: Anno 1221 post mortem Alberti Marchionis Brandenburgici Fridericus II, Alberto Archiepiscopo Magdeburgensi administrationem temporariam feudorum imperii, a marchione regis, ad maiorennitatem usque Ioannis et Ottonis filiorum de-

Hoc tamen, ut ex pluribus filiis unus duntaxat ad officium quo maiores perfuncti erant, adspirare potuerit, omni carebat dubio, cum munus individuum esset, et liberi magis ex indulgentia regis, quam indubitate iure in vices paternas succederent. Reliquis autem posteris masculis allodii parte satisfiebat b), qui quidem si filii ducum erant, non eodem splendescabant titulo, comites tamen aut liberi domini seu Dinae appellabantur, c) gentisve suae eminentiam dignitatemque retinebant, et in comitiis a nemine repraesentati, propria vtebantur sessione et voto.

## C 2

## §. VIII.

defuncti ex sententia principum commisit, quam Marchionissa et praedicti filii ab archiepiscopo pro 1900 marcis argenti redemerunt. In instrumento super ista redemtione confecto, quod extat in OLENSCHLAGERI *Vrkundenbuche zur G. B.* p. 73. et in BEKMANNI *Histor. Auhaltina* T.I. p. 527. sequentia occurunt: *serenissimus Dn. noster Imper. TVTET-  
LAM OMNIVM FEVDORVM, quae idem dominus et pater  
ab imperio tenuit, EX MORTE IPSIVS SIBI DOMINVS  
IMPERATOR VACARE DICEBAT, QVAE ANEVILLE  
VVLGARITER APPELLANTVR, domino Alberto Magdeb.  
episcopo per sententiam principum imperii commisisset, Nos —  
tutelam ipso a domino archiepiscopo duximus redimendam, spon-  
dentes eum in redemtionem eius 1900 marcas argenti.*

b) MARCVLFVS L. II. Form. 10. Lex Alamann. c. XXXIV.  
apud GOLDASTVM c. I. T. II. p. 15.

c) Ut unum tantum ex inumeris aliis proferam exemplum, habeas hoc in Hermanno comite, ex gente ducum Saxonie oriundo, qui inter caetera et castellum Lüneburg hereditario iure possidebat et quidem tum, cum fratriss senioris filius Magnus dux esset. BRVNO in *histor. belli Saxonici* apud FREHERVM p. 181. Plura exempla ex diplomatibus colligit VLRCVS OBRECHT in *Rer. Alfat: Prodromo* p. 261. lqq. quem adi.



## §. VIII

Sed et hic succedendi modus mature in aliam priore haud  
longe distitam formam redactus est. Vidimus enim tam  
duces et alios principali dignitate coruscantes vasallos,  
quam comites, tanta proprietatum latifundia munera  
occasione sibi acquisiuisse, ut nil nisi dignitatis nomen su-  
peresset, quod veterem illum nexum *officiale* indicare  
potuerit; vidimus quoque proprietates hasce inter poste-  
ros masculos diuisas, imo a posteris sequioris sexus in  
maritorum suorum domos illatas, quid quaeſo mirum, si  
comites et alii, quorum potestas regibus non ſolum ſolli-  
citudini non erat, imo potius iis ad ducum refrenandam  
licentiam inſeruebat, priftini illius nexus oblii, praeter  
proptiertates suas, ea quoque bona, quae antea regio no-  
mine tenuerant, inter plures diuidenter filios, et non  
nunquam primogenito officii nomen ſolummodo et inſig-  
nia relinquerent, cui vt pro dignitate iſta ſe gerere po-  
ſet, lautior portio assignata eſt. Quod eo facilius acci-  
dere potuit, cum proſcriptione *Henrici Leonis d)* duo  
praecipuorum ducatum Saxonius et Bauaricus, ſi non  
penitus corraſi, ita tamen mutiliati eſſent, vt ducatus re-  
centiores, eorum in locum ſurrogati, pondere quidem  
a priftinis illis quam maxime, non autem nomine diuer-  
ſi eſſent. Supererant igitur tantum pauci ducatus, quo-  
rum jure *Franconico* regebatur ſuccellio, ſed et hi, extin-  
cta gente Staufensi, diem obiere ſupremum, ex quorum  
ci-

¶) *Io. GEORG SCHERTZ. Friderici Imperatoris iudicium de  
Henrico Leone Saxon. et Bav. duce in WEGELINI Thesauro  
Rer. Suevic. T. II. p. 360.*



cineribus comitibus, nobilibus et ciuitatibus insigne incrementum accessit, iisque via ad superioritatem consequendam aperta est. e) Nouis autem ducatibus sub nexu feudali ea praerogativa, quae maioribus, nunc extintis ducatibus, inhaeserant, collata sunt, quae praeprimis in eo consistebant, ut praedeliberandi iure etiam in eligendis regibus gauderent, ex quo praeconsultandi more, ius illud eligendi exclusivum non ita multo post enatum est.

### §. IX.

Abolis, vti dictum est, magnis illis ducatibus, ius illud *Franconicum*, quod eorum respuebat diuisiones, f) una abolitum est, ducesque recentiores, ex ordine comitum dynastarumque desunti, ideoque diuisionibus inhaerentes, ditiones suas suos inter filios dividere non destitere g), quorum singuli paternam dignitatem, cum

C. 3

iure

e) Io. DAV. KOEHLER. *Fatā ducatus Alämānniās et Sueviae*

§. 9. seqq. apud WEGELINVM T. II. p. 582.

f) von OLENSCHLAGER *Erläuterung der G. B.* §. 47.

g) Ex innumeris factarum diuisionum exemplis, duo tantum sibi finitimarum domum Wiltelsbacensis et Austriae commorasse iuuat. A. 1255. Ottonis illustris ducis Bauariae filii ditiones paternas ita diuifere, ut Henrico ducis nomen et maior pars Bauariae cesserit, Ludouicus strenuus autem superiorem Bauariae partem et Palatinatum Rheni acciperet. *Chron. Augustense* a. h. apud FREHERVM T. I. p. 531. Alterum esto recentis ducatus Austriae qui cum marchionatibus Styriae, Austriae, Cambrensis (Vogburg) ex quibus confatus erat, superio-



iure in comitiis seu placitis generalibus comparendi, volumque ferendi, continuarunt. Reliqui etiam territoriorum immediatorum possessores, qui pro temporis genio summopere castris et burgis exstruendis occupati erant, eorum amore capti, praenominibus suis eorum nomina annectebant, seque dominos eorum in litteris, memoriae caussa exaratis, praedicabant. h) Postquam deinde ad eorum

perioritati ducatus Bauariae exemptus, *Chron. Augst.* a. a. 1152. et famoso illo privilegio Friderici I. exornatus erat, in quo et hoc inter caetera contentum est: *Nec ducatus Austriae ullo unquam tempore diuisionis alicuius recipiat sectionem*, apud OLENSCHLAGERVM im Vrkundenbuche z. G. B. N. IX. (ad quod *Fridericus II.* respexit cum ducatu Austriae, dignitatem regalem tribueret in formula quam exhibet PETRVS DE VINEIS in Epist. XXVI. Lib. VI. cui iungas Epist. praecedentem) hoc privilegio non abstante 1195. inter filios Leopoldi ducis ita diuisus est, ut *Fridericus* in Austria, *Leopoldus* in Styria succederet *Chron. Augst.* a. h. a. apud F R E H E R V M p. 515. Nonnunquam lubenter parentes diuisiones, quarum incommoda adhuc fenserunt, prohibuissent, nisi aequitas, ex iure Quiritario petita, conscientiam eorum turbasset, indirecte igitur et quasi subdole diuisionum malo obuiam ire conati sunt, teste S T E R O N E A. a. 1290. apud F R E H E R V M T. I. p. 573.

h) Saepenumero genealogia eo turbatur, vt comites et alii a burgo, in quo tempore confecti instrumenti commorabantur, cognomen mutauerint, quod exemplo *Sizzonis Comitis*, qui in monumentis modo sub nomine generali *Comitis in Thuringia*, modo tanquam *comes Schwarzburgicus* aut *Kefernbergensis* occurrit, probatum dedit P A U L I O V I V S (Goetze) in *Chron. Schwarzburgico* p. 135. apud S C H Ö T T G E N in Diplomatario T. I.

❧

rum imitationem, inferior quoque nobilitatis ordo, realia,  
vt ita dicam, nomina assumit, ad immensum usque numerus dominorum de N. N. accreuit, ex quibus illustrissimae  
familiae, quae Germaniam nostram principem exornant  
(iis tamen, quae ex Troiano equo, ad minimum Capito-  
lio deriuari amant, exceptis,) ortum traxere suum, qua-  
rum origines si denominationes a burgis in morem non  
venissent, adhuc tenebris immerse essent. i) Ne autem  
sic ex primae nobilitatis prosapia oriundi, cum inferiore  
nobilitate, quae ipsis temporibus nominibus ab iis distin-  
cta non erat, commisceri periclitarentur, principum et  
comitum encomiis omni iure se exornarunt. Pierum-  
que nemine rogato, innatam suam principalem dignitatem  
et nomine declaratam dederunt, vt nobis adhuc florens  
Ascaniae stirpis linea insigne exemplum suppeditat, ali-  
quando tamen, paeprimis tum, quum iure consulti ex  
schola Bononiensi, iure feudali Longobardico intincti,  
in Germaniae foris dominari cooperunt, nouamque: *qua-  
nam sint regalia?* doctrinam inuixerunt, qua non satis sta-  
bilitam superioritatem territoriale concutiebant, con-  
tigit, vt nonnulli patrimonium suum imperio in feudum  
offerrent, regaliaque et titulum, a dignitate olim iis com-  
petente matuatum v. g. Ducas, Landgrauii, in remune-  
rationem acciperent, quod exemplis ferenissimarum do-  
muum.

i) Sic domum *Palatinam* a comitibus *Schirensibus* progenitam  
esse scimus, quae deinde a castro Wittelsbach a 1101. exstruc-  
to, nomen assumit PFEFFINGER ad *Vitriar T. I.* p. 144.  
*Saxoniam* a comitibus *Wettinenibus*, *Württembergicam* a comi-  
tibus *Beutelsbacensibus*.



mum Brunsuicensis *k)* cui Deus saueat, vt et Hassiacae *l)*  
edocemur. Saepenumero tamen plures filii in communione  
territorii et regiminis perstitere *m)*, quia tritum illud bro-  
cardicon: *Theilung bricht Erbe* nimis altas in Germania  
egerat radices, iisque si diuiderent, non leue minabatur  
praeiudicium, quale domum *Ascaniam* lineae *Ioanneae* et  
*Henriciana* expertam esse constat. Sed et huic diuisio-  
num obici per paecta familiae *n)* et inuestituram simulta-  
neam communem, durch das Zusammensetzen, vti efferri so-  
let

*k)* Litterae inuestiturae *Ottonis* pueri apvd III. BOEHMERVM  
in App. Princ. Iur. Feud. N. I.

*l)* Litterae inuestiturae *Henrici* pueri apud KVCHENBECKE-  
RVM in *Analebitis Hassiacis Coll. VI.*

*m)* In instrumento ad §. 7. n. a. allegato et hoc contentum est:  
dominus etiam archiepiscopus ducet nos (*Ioannem* et *Ottонem*)  
ad dominum imperatorem et reducet et faciet et efficiet apud eum,  
quod nobis **IN SOLIDVM** porrigit omnia feuda, quae pater  
noster in imperio tenuit.

*n)* In instrumentis diuisoris diligenter de mutua successione pa-  
ciscitur, quo, nisi contraria viguisse consuetudo, non opus  
fuerit, inspice, si placet, pactum illud celebre diuisorium *Pa-*  
*piente* inter *Ludovicum Bauarum* eiusque filios et *Rudolphum*  
eiusque fratres Comites Palatinos d. a. 1329 in *OLENSCHLA-*  
*GERI Vfkundenbuche* N. V.

Vnd ob wir und unser Kind ohne Erben verfahren, so sollen,  
unser Land, Leute und Herrschaft und die Wahl des Reichs-  
uf sie und ihr Erben gefallen und erben; also sollen herwider ir  
Land Lenth, Herrschaft und die Wahl des Reichs uf uns  
und unser Kind erben und gefallen, ob die on Erben  
verfaherten. Item *Wilhelmi* et *Balthasaris* Landgrauiorum Thu-  
ringiae conuentiōnem ditionum suarum diuisionem concer-  
nentem de a. 1387 apud **LVNIGIVM** Reichsarchiv Cont. II.  
Part. spec. p. 193.

let, o) obuiam itum est, donec male intellectae consuetudines feudales Longobardicae et has iuris patrii reliquias, iis regionibus, quae ex iure Saxonico dijudicantur, exceptis, e medio sustulerunt. p)

### §. X.

Ex iis, quae hoc usque de modo succedendi inter illustres usitato decerpsumus, iam ea, quid circa transmissionem uoti iustum fuerit, disquisitio, parum nobis faceret negotii, cum ius suffragii ut accessorium non potuit non successioni in officium et territorium inesse, vnaque cum ea et suam mutare faciem. Iis igitur temporibus, in quibus proceres imperii, officii ergo comitiis intererant et ius hereditarium nondum vigebat, voti etiam transmissione cogitari nequivit, sed successori in officium, uti antecessori ius hocce muneric virtute competit. Postquam autem in dies ius hereditarium altiores agere coepit

ra-

o) Videſis pactum familiae Hennebergensis, in quo' successio unius stirpis in alterius bona tam feudalia quam allodialia primum stabilita est, annexa Caroli IV. confirmatione et simultanea inuestitura apud SENKENBERGIVM in App. C. D. ad meditationem de successione ex simultanea inuestitura iure feudorum imperii communi in fascic. III. Meditat. N. III.

p) Licet ius Longobardicum Germanicae simultaneae investiture se non contrarium praebat, posterior tamen, postquam Saxonica longe a priore diffusa, inualuit, ab usu plane recessit, quod ex ORDINATIONE IUDICII AVLICI T. III. §. 12. videre licet: *Daß in welchen Geschlechten und Reichen - Crayzen die simultanea inuestitura hergebracht und im Gebrauch, dabey solche auch gehalten und derselben nachgelebt werden soll.*

D



radices, transmissio quoque firmiore stare coepit talo, et quam diu feuda maiora diuisionibus non diuellebantur, ei solum cessit, qui comitatu aut ducatu inuestitus erat. Quod tamen non ita intelligi velim, vt reliquis, quibus ex allodio satisfactum erat, nullum plane ius in comitiis comparendi competisset, hi enim, vti iam monuimus, liberi domini erant, neminique ita subiecti, vt cum caeteris subditis representatione opus habuissent, quod et in dynastis a comitibus descendantibus iuris fuisse arbitrator, q) quia comitibus ipsis a ducibus, quibus alias subordinati erant, neutiquam de fessione et voto in comitiis quaestio mota, ideoque haud verosimile est, posteros eorum se a iure, quod libertati familiarium earumque professionibus innitebatur, detrudi passos fuisse, licet successu temporis et crescente superioritate territoriali, rem paullum immutatam esse, non inficiemur.

Solio Caesaris adstante sic amplissima procerum corona, quibus omnibus consilia confociare sua permisum erat, absurdum videbatur, rem, de qua quæstio erat, secundum pluralitatem votorum decidere et sic votum ducis voto dynastæ exaequare r), sed re-

q) *RVINART in Praefat. ad Gregor. Turon §. II. KOPP de insigni differentia inter S. R. I. comites et nobiles immedios ESTORS kleine Schriften T. III. p. 545.*


r) *KOPP nimis comitum dynastarumque partibus fauens in Tr. von den Reichsgräflichen votis curiatis und deren Ursprung, paritatem omnium omnino votorum euincere quidem annius est, sed si nos non omnia fallunt, probatione ista excidit. Attamen si viri rarae eruditiois autoritati quid tribuendum sit, id ei largiamur, ut forsitan comites et dynastæ, a ducibus genus*

rectae rationis dictamine vota ponderabantur magis quam numerabantur,) ita ut ducis votum multorum comitum et dynastarum vota pondere praeualeret. Sequitur inde, vt, si in una persona plures ducatus aut comitatus concurrerent, non multiplicatum ius votandi tali competiisse, eius tamen votum unicum pondere et gravitate reliqua superasse. Praeminentia autem talis istius generis erat, vt noceret potius quam prodebet, reges enim eiusmodi opes autoritateme metuentes, reliquorum, quorum, vt fieri solet, inuidia et odio premebatur, auxiliis adiuti, nonnunquam talem a culmine suo deicere annisi, imo et voti sui vere compotes facti sunt, quod ex-

D 2

em-

genus trahentes, quibus amplum patrimonium contigerat, in comitiis ducibus et reliquis principibus non longe posthabiti sint. Neque GUNDLINGII autoritas nos a nostra abducit sententia, qui famosam illam de archiprincipibus doctrinam in *Traictat. de Henrico Aucupe ad §. 14. n. h.* impugnans his verbis vititur: valebant tunc Episcoporum, Abbatum, aliorumque, illustrium Satraparum perinde, ut *Ducum suffragia*, Spretis enim Gundlingii aduersarii de archiprincipibus commentis, id certe ex natura rei, imperii compage, et reliquiis mediae aetatis (§. VIII.) patebit, principes dignitate et opibus eminentiores, praecipuum in deliberationibus uniuersalibus pondus habuisse.  
 s) FÜRSTENERIVS (Leibnitz) de suprematu principum Germaniae C. 40. p. 187: Illorum temporum simplicitas tam futilis argutias non capiebat, neque tunc scrupulose numerabant suffragia, et de semisse aut sextante summae in imperio potestatis unciisque eius, et si Dis placet, unciarum minutis, quas aliqui singulis electoribus adscribunt, disputare putidum fuisset.



emplis Henricorum, Aucupis et Leonis oculos incurrit.

### §. XI.

Hocce iuris publici axioma, quod quis, licet pluriū territorialum dominus fuerit, vnum tantum, praeualentioris tamen ponderis praeceteris, qui vnam tantum et forsan minimam Germaniae frustulam regerent, votum habuerit, varios peperit euentus, quos circa ius in comitiis comparendi, suffragiumque ferendi tunc temporis accidisse, praep̄imis ex actorum publicorum subscriptione, cognoscimus. Si cui territorium antea diuisionibus dissectum reunire contigeret, quorum singuli possessores singulis gauisi erant votis, illa, secus ut hodie, non ita ad successorem transibant, ut ei eorum separatum et diuisum exercitium competiisset, sed in vnum consolidabantur, sic, ut vetus, quo antea usus erat, et in posterum retineret, cui tamen haud exiguum momentum eo accessit, quod extincta illa separata vota ei accrescerent. Rationem huius moris si exposcas, eam in aprico positam esse censeo, nam si ad modum in comitiis consultandi tum usitatū oculos conuertimus, proceres imperii ipsos, comitiis, quae plerumque unius aut duarum septimanarum spatium non excedeant, interfuisse, comprehendimus, quomodo igitur quaeſo, pro temporiſ similitate vni eidemque e. gr. Duci Bauariae et Saxoniae ob diuersa ſibi subiecta territoria, duo ſeu plura vota ſibi ſimul attribuere, in mentem venire potuit? Ut autem huius asserti veritas melius inclareſcat, aliud exemplum ex recentiore aetate depromam. Extincta linea Anhaltina e-

le-

lectorali Henricus illustris Margrauius Misniae a Sigismundo imperatore 1423 vacantem electoratum accepit, qui simulac ei se electoribus immiscendi copia facta erat, votum cuius intuitu antea comitiis intererat, lubenter a voto electorali absorberi passus est, quam ob causam et hodie votum *Misnicum* nec non *Thuringicum* incassum in senatu principum quaeres. <sup>t)</sup>

### §. XII.

Quum autem ob impotentiam Friderici III comitia post longas altercationes omni carere coeperint exitu, imperator auxilium, quo valde indigebat, flagitans, quod tam status tam diu, donec petitis suis satisfactum esset, denegabant, immensum comitiorum numerum indixit, quo effecit, ut principes, qui tantas frustaneas tamen proh dolor! impensas eundo et redeundo cum magno hominum equorumque comitatu consumserunt, non ut antea ipsi, sed per legatos comitia frequentarent. Ab hoc inde tempore inualuit, ut idem qui et elector et princeps esset, et electorum et principum consultationibus interesse potuerit <sup>u)</sup> vtque vota, quae olim cum proceres ipsi

D 3

prae-

<sup>t)</sup> CASP. HENR. HORN. de *Landgraviatu Thuringiae nec non de Marchionatu Misniae in FABRI EVROP. STAATSKANZLEY* p.

319. 33. 34.

<sup>u)</sup> Prima huius consuetudinis vestigia occurruunt in subscriptio-  
ne R. I. de a. 1542. ubi Albrechtus elector Moguntinus qui-  
simul archiepiscopus Magdeburgicus erat, per legatos et ele-  
ctoratus et archiepiscopatus Magdeburgici nomine recessui  
nomen apposuit. Non ita multo post a. 1557 Otto Henricus  
Elector Palatinus, antea princeps Neoburgicus inter principes  
vete-



praesentes essent, ponderabantur, nunc numerari coepi-  
rint.

Principes igitur seculares, multitudini principum ec-  
clesiasticorum et principali dignitate decoratorum abba-  
tum, potestate sibi longe inferiorum, succumbere metu-  
entes, dedita opera eo allaborarunt, ut aequalitas con-  
seruaretur; quam eo stabilire satagebant, ut possessiones  
suis inter filios quot aderant diuidenter, iisque comitiis  
interesse praeciperent, w) utque vota, quae olim cum posses-  
so-

veterem retinuit locum et ita recessum subsignauit: *Von wegen Otto Heinrichs Pfalzgrafen bey Rhein Herzogen in Bayern, Churfürsten &c. von wegen des Furstenthums Neuburg. Cum huic innovationi nemo dicam impingeret mox reliqui, ut in re tam fructifera fieri assolet, horum exemplum sequuti sunt, ut Ernestus Elector Coloniensis, qui a. 1598. tanquam episco-  
pus Monasteriensis, Hildesiensis et Freisingensis recessum sub-  
scriptit.*

w) Memorabilia huius remedii sunt exempla Friderici III electoris Palatini et Wolfgangi Comitis Palatini Bipontini, qui ambo in testamentis suis, terras suas suos inter filios diuiserunt, iisque earum intuitu comitia non negligere iniunixerunt, cuius voluntatis Fridericus in testamento suo 1576 condito, sequentem ad-  
ditionationem: *Nachdem nehmlich bekannt, was es für eine Gelegenheit auf den Reich und Versammlungs-Tagen mit den Geistlichen im Reichsrath hat, welche sich immer dessen befleissen, daß ihr Bank mit vilen Personen besetzt sey, auf daß sie durch das Mehrer dietenigen so auf der weltlichen Bank sitzen, überstimmen und, dasjenige was sie wollen hindurchbringen mögen: daß mit nun die Stimmen auf der weltlichen Seiten dem heil. Reich zum Besten gestärkt und vermehrt, so erinern und ermahnen wir*  
ges.

❧

soribus interierant, in posterum a successoribus continuari, paterentur. *x)* Quae vota transmittendi consuetudo, pacata post diuturnum pestiferumque bellum Germania, quum status de numero et perennitate votorum solliciti essent, et ad proxima quieta recurrerent comitia, nam iam tum, in negotiis publicis determinandis, consuetudo omne pun-

*gedachte unsre Soehne und Dero Nachkommen, daß sie als gebohrne Pfalzgrafen, ihr Stimm und Session in Reichs-Versamm-lungen sich nicht begeben, sondern mit Besuch und Beschickung derselben sie behalten und einnehmen und zu demjenigen was dem Reich teutscher Nation, Unsern gemeinen Vaterlande zu gutem gereichen mag, nach ihrem besten Verstand rathen und das Böse abwenden helfen. apud III. MOSERVUM von denen teutschen Reichsländer P. 572.*

- x)* Insurrexit contra hanc sententiam Cel. IO. VLR. ROEDER in Tr. von den Herzoglich-Saechsischen Reichstagsstimmen, und der Frage: *Ob der Grund derietzigen Stimmen der altweltfürstlichen Häuser im Reichsfürsten Rath und besonders der Herzoglich Sächsischen in der Observanz des Reichstags vom Jahr 1582 zu suchen sey?* et nescio cur (nam ad dubia quae de votis Badensibus et Hassiacis suboriri possent, in confitu respondebitur) vota a. a. 1654 vsque regulariter ad successores in territоium transmissa non esse, ita evincere allaborauit, vt eos casus, in quibus successores et votum continuarunt e. g. *domus Saxonica Hennebergicum, duces Vinarienses Ifenacense, Altenburgici Coburgicum*, modo pro exceptione a regula modo pro conatu illegali, quem tamen fortuna felici successu secundauit, declarare non dubitauerit. Sed non video, quid eum mouerit, vt, cum comitiis Augustanis, anno 1582 habitis, omnem omnino fidem normalem detrahere apud se constituisse, in hanc non satis tutam latebram se coniecerit, cum secundum notam praecedentem



punctum ferebat; tacita veluti conventione approbata est. y)

### §. XIII.

Stabilita sic vsu et consuetudine votorum immortalitate, iam de modis, quibus possessoribus extinctis, in alios transmittuntur, nos sollicitos esse oportet. Sunt autem tot vota transmittendi modi, quot sunt territoria quibus cohaerent modi adquirendi, qui prout feuda aut allodia sunt, maxime inter se differunt. Feudorum transmissionem quod attinet, ea, vel ex voluntate primi adquirentis, vel a voluntate possessoris a domino directo confirmata, quo refero pacta confraternitatis, vel a voluntate domini directi ipsius, si nempe ei aperta sunt, pendere solet; quibus duobus posterioribus modis, si de feudis imperii sermo est, aliam adhuc formam superadditam scimus, quae in eo consistit, ut electoratu nonnisi consentientibus electoribus, principatu, comitatu aut dynastia consentientibus electoribus et principibus, alias reinfeudari debeat. z) Missis autem iis quae ex iure feudali Germaniae publico dijudicanda sunt, ad aliam haud leuibus tricis inuolutam progradimur quaestionem, eam nempe: an votum in comitis S. R. I. competens etiam allodio cohaerere possit? et quid circa eius transmissionem

nem-

cedentem exempla non desint, quae de hoc transmittendi more iam ante memorati recessus tempora constitisse, testantur.

y) GENEROS. A SELCHOW in Elem. Jur. Publ. §. 114.

z) Cap. Caesar. art. II. §. 10. sqq. Ill. BOEHMER in princip. Jur. feud. §. 405.

iuris sit, si territorium cui ius suffragii annexum est, ex diuersis tam feudalibus quam allodialibus coaluerit tractibus? cuius ex praemissis de votorum indole enodandae periculum faciamus.

#### §. XIV.

Extra aleae iactum positum esse credo, duces et comites antiquos item Marchiones, Landgrauios prouincias suas, seu ut modo loquendi in formulis *Marculfianis* obuio utar, *actiones* primum administratorio nomine, deinde sub nexus fidelitatis gessisse, earumque intuitu comitiis et placitis generalibus interfuisse, quo vinculo et ii post ligati sunt proceres, qui vices pristinorum illorum ducum, mutata licet rerum facie, obtinuerunt, tu to quoinde colligi posse mihi persuadeo, omnibus iis, qui adhuc hodie pristinis ab officiis denominatis praesunt territoriis (dignitatibus regalibus), ius in comitiis compendi virtute officii et territorii competere. Sed iam pristinis illis temporibus duces et reliquos officiales, praeter ea bona feudalia, quibus salarii instar fruebantur, alia sibi adquisiuisse latifundia, notauimus, quae indolem suam allodialem, etiam nunc, cum in manibus ducum aut comitum essent, non exuerunt, quippe quae inter filios quot aderant diuisa esse affatim probauimus. Cum autem ex §. X. constet, iis tanquam comitibus aut dynastis in comitiis ius suffragii competuisse, non possunt non et nostris temporibus adhuc superesse territoria, quorum possessores, licet allodia possideant, sessione et voto in comitiis gaudent, et cum territorio et votum ei inhaerens

*Eis levigatibus modis iure  
metabolique abolla levatis nominatis an*



iure allodii transmittunt. *u)* Plerumque temporibus illis turbidis, possessores ditionum allodialium, quae ut facili coniectura assequi licet, latitudine sua haud laborabant, hinc ad potentiorum inuasionibus resistendum inhabiles erant, sub umbra alarum vicinorum potentiorum se absconderunt, iisque possessiones suas vel in totum vel pro parte in feudum obtulerunt, quarum cum voto transmissio, quod tali in feudum oblatione non perimebatur *w)*, si fibi pactis non prospexere, jure feudaliter regitur communis. Plurima quoque allodia postquam a dignitate regali, cui antea cohaeserant avulsa, eorumque possessoribus pristina vti dignitate controversiae motae sunt, ut ansta litis praescinderetur, in feuda imperii ducali aut alia antea iis competente dignitate insignita, vel in totum vel pro parte commutata sunt, quibus vti dignitas regalis, ita et ius suffragii annexum est. Quomodo autem territoria minora ad eam formam, feudis imperii et allodiis mixtam, peruerent, non semper liquet, quia comitatus encomium, an eorum origines feudales an allodiales fuerint, in incerto relinquit *x)* et licet posterius

pro-

*u)* Vide tamen B. G. Struuum in *Corp. Iur. Publ.* p. 587. cuius tamen rationibus iam ab III. M O S E R O von denen teutsch-schen Reichsstaenden L. I. c. 3. §. 8. satisfactum est, apud quem in §. 9. exempla, in quibus allodia cum voto ad heredes allodiales transfiere, videre licet.

*w)* HENNIGES Medit, in I. P. W. Mantissa ad spec. II. de statibus imperii §. 11. p. 202.

*x)* CAP. CAROLI CALVI T. LIII. c. X. fallitur igitur B. G. STRUVIVS in *Synt. Iur. publ.* p. 435. si hanc inter comites et dynastas differentiam intercederet credit, ut comites essent, qui sua bona vel feudi lege vel ab imp. tenerent, dynaste vero qui bona patrimonialia vel allodia possiderent.

probari possit, nihilominus cum nouo dubio, num oblatio, nibus, aut aliis feuda adquirendi modis tum v sitatissimus ius suffragii ab allodio ad feudum translatum sit, ratione quae talem immutationem exposceret, deficiente luctandum esset.

### §. XV.

Quum igitur ius suffragii aequae allodio ac feudo cohaerere possit, calculo Miuerae linquendum esse videatur, num facta separatione, votum heredi allodiali an feudali adiudicari debeat. Iccirco euenit, vt ipse senatus imperialis aulicus in decidendis his controuersiis nonnunquam haeserit suspensus, quod et in celebri de hac re mota lite contigit, cum extincta comitum Limburgensium linea Spekfeldensi, rex Prussiae successor feudalis et heredes allodiales de integro voto coram senatu imperiali aulico certarent, v) quae lis tandem ita transactione sopia est, vt quilibet heredum allodialium ramus, inter comites Franconicos separatum retinuerit votum Gaildorfium nempe et Spekfeldium w). Nobis, si alias, de re tam ardua iudicium ferre, arrogantiam non sapit, in aequitate fundata arridet sententia, vt si feuda et allodia aequalia sint, vtraque pars ad continuandum votum admittiri debeat, cum in comitiis nil v sitatius inuenire licet, quam vt plures vnum idemque participant votum. Minorires subesse videtur dubio, si vsus certam decidendi indicet normam, aut si allodium feendum vel feudum allodium quantitate longe exuperet, quo in casu praesumtio certe pro eo militabit, quod maximam par-

E 2 tem

v) MOSER von denen teutschen Reichsständen L. I. c. 3. §. 10.

w) idem c. 1. L. 2. c. 4. §. 9. 8.



tem territorii conficit *x*) Quam sententiam quoque senatus imperialis aulicus in decidenda lite de successione extincta stirpe mascula comitum *Wolfssteinenorum* in dynastiam *Pyrbaum* inter electorem Bauariae et heredes allodiales suborta, approbasse videtur, quos posteriores, quia maior dynastiae pars allodium erat, inter comites Franconicos receptos scimus. *y*) Tunc denique si territorium quoddam ex diuersis et minutis conglutinatum sit partibus, quae dominis aperiuntur directis, ita, ut parum aut nihil restet, de quo onera in matricula contenta desumi possent, diuersique domini de exercitio voti et de oneribus communiter ferendis inter se conuenire nequeant, votum tenues vanescet in auras. *z*)

#### §. XVI.

Antecedenti aequa difficilem arduamque iungere lumbet disquisitionem, quid circa exercitium voti iustum sit, si successor in territorium diuersae ab eo addictus sit religioni? quae iterum si usum non species, iisdem decernenda erit principiis, quae in antecedentibus stabiliuimus. Ampliore enim probatione, vota in regula territoriis annexa esse, haud indigere persuasi sumus, *z*) cum principes et reliqui territoriorum domini ingenuos suos in comitiis repraesentent subditos, qui sub tacita illa conditione, ut officialis cis praepositus, eorum in comitiis in-

*x*) idem c. I. L. I. c. 3. §. n. 1.

*y*) idem c. I. L. II. c. 4. §. 132.

*z*) idem c. I. p. 256.

*z*) Conferri merentur quae HENNIGES cl. §. 16 et 17. de hac remeditatus est.

terpres esset, domi manserunt eumque solum comitiis interesse passi sunt. Nil igitur iustius et aequitati conuenientius esset, quam ut successor, licet diuersae a territorio in quod succedit religionis sit, votum ei inhaerens eo in statu relinquit, in quo antea fuit, nilque magis naturam rei et aequitatem conuertit, quam ut ob unius hominis dissentientis arbitrium, multorum milium voluntas, quae iam ab antiquissimis inde temporibus neglecta non est, nunc quasi *ἀπροσωποί* facti essent, spernatur et suppri-  
matur. Neminem igitur, cuicunque religioni addictus sit, spero fore, qui hanc in aequitate fundatam, iniquitatis accuset sententiam, quae ob rationis paritatem et eo in casu locum sibi vindicabit, si princeps qui adhuc iisdem cum subditis suis enarratus erat religionis dogmatibus, ab his diuortium facit aliamque amplectitur reli-  
gionem. Sitamen quis esse evius animum aequitas ista non feriret, ei ut evoluat Art. V. §. 31. iuncta §. 29 I. P. W. suasores sumus, in quo subditorum religionis exercitium eique iura annexa iuxta annum normalem illibata seruari praecepitur a) Quo autem, cum votum territorio cohac-  
reat, magis iura subditorum religionem concernentia in-  
fringi possunt, quam voti immutatione in comitiis, a quibus et status religiosus et politicus patriae nostrae dependet? His autem sat grauibus caussis non obstantibus vnu inualuit, ut votum religioni unius cedat, in quem ter-  
ritorium transmissum est, b) nec admirationem mouet, in-

E 3 ter

a) CL. GEORG JACOB FRIDER. MEISTER *Versuch einer Bestimmung der Grundzüge wonach die Religionsbeschaffenheit der deutschen Reichstagsstimmen am richtigsten zu beurtheilen* p. 32. sqq.

b) *Neue Staatskanzley* C. 2. n. 2, 3. p. 246. sqq.



ter vtraque diuersarum religionum corpora tacita quasi conuentione consuetudinem hancce genitam esse, quum vtraque pars iuste metueret, sibi damno potius, quam commodo futurum esse, vt membrum diuersae religionis quoad nomen et locum consultationibus suis interesset, et expiscatis consiliis ea deinde parti, cui quoad personam adnumeratur communicet, sique circulos turbet. Bona igitur cum gratia permisum est, vt successor cum voto ad eam religionis transeat partem, cui ipse adnumeratur, sique corpus cui valedicit, minutum licet, purum tamen relinquat. Ita servatum est cum Wolfgang *Wilhel-mus Comes Palatinus Neoburgicus amplexis catholicorum* sacris et votum ad eorum transferret partes, cuius ad exemplum et filius eius *Philippus Wilhelms elector Palatinus* cum voto ad catholicos transit, nec non cum princeps *Arauionensis* extincta linea catholica principum *Nassoviensium* 1743 votum *Hadamarioigense* corpori euangelicorum inferret. Eodem successu celebris illa controuersia finita est, quae circa exercitium voti Bipontini enata erat, cum *Gustauus Samuel* a protestantium partibus ad catholicas transiisset, votumque per aliquot tempus legato comitali Brandenburgico *de Metternich* exercendum commisset c) quod deinde catholicorum partibus vindicatum est. Nouissimum exemplum extat in domo *Baden* linea *Durlacensis*, quae extincta *BadaBadensi*, nemineque dicam scribente, votum antea catholicum ad suam accommodauit religionem.

### §. XVII.

c) *Raisons qui ont porté le Roi à ne pas detourner le duc de Deuss-ponts de laisser son suffrage entre les mains d'un Ministre Protestant. Neue Staatskanzley c. I. p. 238.*


 §. XVII.

Quid inde mirum, si principes, qui religione quam  
cum subditis suis antea communem habebant, se abdica-  
runt, aequitate ista permoti, votum subditis suis non  
sustulerunt *a)* sed senatui suo sanctiori unice exercendum  
relinquere, arctissimis se obstrinxere sponzionibus, quae  
eo maiore prosequendae sunt fauore, quo minus quid ex-  
orbitans per eas introducitur, sed iura subditorum san-  
ctissima aduersus consuetudinem, nullo modo cum aequi-  
tate conciliandam, sarta recta seruantur *c).* Alia insuper  
his pactionibus inconuenientia euitatur, ne votum stellae  
errantis instar, modo in hac modo in illa religionis re-  
gioae circumferret votaque fixa turbet; saepissime enim  
sit, ut non familia princeps integra, sed regens tantum pri-

fti-

*a)* In reuersalibus seren. ducis Würtenbergici legitur: *so daß*  
*diesemnach Unser Herzogthum Würtenberg samt der gesurste-  
sen Grafschaft Moempelgard und allen dazu gehörigen Herr-  
und Landshaften, nicht anders als euangelische Lande conside-  
riert und in diesem Betracht auch die eigentliche und nach dem  
gemeinen Verstande derer Reichsgesetze und des Herkommens un-  
serer Lande eigenthümlich inhaerirende und respectu derselben*  
*uns zu stehende Vota so wohl in comitiis imperi et circuli, als auch*  
*deputationen, Conferenzien und dergleichen Zusammenkünften als*  
*euangelische vota angesehen und geführet werden mögen.* SCHAV-  
ROTH Collect. Concl. Corp. Evangel. T. III. p. 833. Quod et  
iisdem verbis in reuersalibus seren. Landgravii Hassiaci §. 16. ap-  
promissum est, Europ. Staatskanzley T. 107. p. 671 quae in eo,  
ut exercitium votorum unice senatui sanctiori commissum sit,  
cum Saxonicas conueniunt.

*e)* Auctor Tr. *Gesetzmäßigkeit des Reuerses des Hrn. Erbprin-  
zen von Hessen-Cassel 1756.*



stina novis commutet sacrif. f). Deficientibus autem talibus cum suditis pactionibus g) omnino ab utraque parte agnita consuetudo vires exeret suas, cuius efficacie iis ipsis obuiam itum est stipulationibus. Flebile igitur eo in casu, si consuetudo ista promissionibus eneruata non sit, restat duntaxat remedium, ut corpus cui votum avellitur a domino voti iam valedicente sibi promitti curet, eum subditos suos neque in causis politicis neque religionem concernentibus grauaturum fore. h).

### §. XVIII.

Ne autem suetam specimenis academicis transgrediamur mensuram, vela contrahamus et ad aliud votorum genus nos conuertamus, cuius origines post celebratissimi R. I. de a 1582 tempora reperimus.

Ordinata eo quo dixi modo votorum perennitate, id statibus imperii, ut Caesarem reseruato suo, dignitates conferendi simulque votum in comitiis impertiendi, exurerent, aut arctioribus concellis includerent, in mentes non venit, sed eo incolumi, praesentem tantum votorum numerum in perpetuum stabilire, solliciti erant. Quod eo verius est, quo parcus imperatores ius suum exercuerunt, cum post Maximilianum II qui comiti Arembergensi principalem dignitatem cum voto concederat, neque

f) *Illustris PÜTTER* in *Elem. Iur. Publ.* §. 115.

g) An autem et quounque pactiones eiusmodi inter principes et subditos in morem abiisse dici possint; vides apud Cl. MELSTERVM l. c. p. 49. et 39.

h) *ESTOR* *Delin. Iur. publ. eccl. Protest.* c. II. §. 2. sqq.

que Rudolphus II neque] Matthias iure suo vñsi sint. Ferdinandorum autem sub regimine, plures ditionum Austriae proceres, ne transversum unguem bonorum immediatorum possidentes, non solum principali dignitate, sed et votis in comitiis exornati sunt; quae fuit causa, vt status, quorum liberum ius suffragii pluralitate infringi periclitabatur, se se opponerent, et iam tum, cum pax qui bello tricennali finem imposuit conderetur, libertati suae et dignitati prospici optarent*i)*, quorum tamen votis alias ob causas satisfactum non est. Commodorem igitur occasionem expectare necesse erat, electionem nempe Ferdinandi IV in imperatorem, qui in capitulationis suae art. 45 *k)* neminem sessionibus in comitiis intrusorum spospondit, nisi antea se bona principe digna possidere probauerit, et consensum electorum et principum, praeprimis eiusdem scamni in quod recipi flagitat, vt introduceretur, impetraverit.

### §. XIX.

Sed id non impediebat, quo minus aliqui, qui his requisitis non gaudebant, multis ex causis, quas enumerare sufficeret.

*i)* Gravamina politica Mens. Mart. 1646. a protestantibus exhibita N. IX. apud MEIERIN ACT. P. W. T. II. p. 507.

*k)* Niemand aber von den neuerhöhten Fürsten, Grafen und Herrn dem fürstlichen Collegio, es sey gleich auf selbigen oder der Grafen Bänken ad sessionem et votum, wieder derselben Willen aufzutragen, sie haben sich dann darzu mit fürstlichen oder graeflichen Reicht-Guthern vorher genugsam qualificirt, und zu einer standeswürdigen Steuer in einem gewissen Crays eingelassen und verbunden, und über solches alles neben den churfürstlichen auch dasiengen Collegium oder Bank darinnen sie aufgenommen werden sollen, vorher gehöret worden.



persedemus, conniuentibus duobus superioribus collegiis, sessionem et votum consequuti sint, hac tamen conditio-  
 ne addita, ut adhuc deficiencia requisita in posterum aut  
 supplerent, aut sibi haberent si posteri ipsorum hoc iure ite-  
 rum deficerent, quale ius suffragii precarium si appelles  
 non errabis. Ne tamen in tractando eo quod circa trans-  
 missionem horum votorum iuris sit, iusto latius exspatiemur,  
 regulae, ut et vota R. I. d. a. 1582 recentiora, nisi  
 dilucide aliud vel receptionis formula ipsa, vel rei na-  
 tura suadeat, aequa ac antiquiora territoriis cohaereant,  
 insistamus, causam enim ob quam vota recentiora ab  
 antiquioribus diuersa esse deberent, inuenire non licuit,  
 imo leges imperii eo ipso, quod tam anxie possessiones im-  
 mediatas requirant, paritatem hancce innuere videntur.  
 Cum tamen absque territorio inhaesio voti cogitari ne-  
 queat, plerique autem promissione adquirendarum posse-  
 sionum immediatarum facta, adquiescentibus statibus, in-  
 trometerentur, aut candidati sponzionibus suis satisfecisse  
 autumabant, si qualescumque possessiones allegarent, fa-  
 ctum est, ut nonnulli quoad personam tantum admitte-  
 rentur, aut ut ad lineam certam receptio restringeretur.  
 Inde patebit, cur et ii, qui defectu tali haud laborabant,  
 ideoque precaria tali receptione non indigebant, ne prae-  
 ius, in quorum fauorem eorum admissio accessorii instar  
 commendata erat, pinguioris conditionis essent, aequa-  
 lem cum aliis experti sint fortunam.

## §. XX.

Res igitur omnis eo redit, ut cum de transmissione  
 voti lis exoriatur, ad acta publica in quibus et receptio-  
 nis

nis et reuersalium formulae continentur, recurramus, quibus oculo analogia iuris publici armato inspectis, gladio Alexandrino opus amplius non erit. Operae pretium tamen esse duxi, cum et in hocce ut in omnibus aliis iuris publici capitibus, ea quae in dirimendis litibus circa transmissionem votorum subortis, seruata est norma, et in posterum non parum ad decidendas tales controvierias conducere soleat, paucis praestantiorum quae obuenierunt et adhuc obuenire possunt quaestionum mentionem iniicere. Plurimas si receptionum formulas contempleris, eas, ex iam adductis causis, ita conceptas inuenies, ut candidatus pro se et posteris suis solummodo, imo nonnunquam sub conditione sibi bona principe digna acquirendi, senatus principum cooptatus sit, nil igitur tam naturale est, quam conditione ea non adimpta aut deficientibus posteris, votum hac sub lege concessum, morte adquirentis iterum extingui <sup>1)</sup>, quod et contigisse vidimus cum princeps *Picolomini* ~~et annus~~ et non impleta conditione decesserit, nec non cum princeps *Portia* 1665 et dux de *Marlborough*, qui 1714 per pacem Badensem principatum suum Mindelheimensem electori Bauariae restituere coactus erat, non relictis liberis et territoriis immediatis e vita migrauerint. Non minus illustre exemplum extat in domo *Waldeensi*, cuius vnius lineae regnantis caput *Georus Fridericus* 1686 voto et sessione in comitiis condoratus erat, cuius tamen morte, cum quoad personam tantum receptus esset, ius illud una interiit, et superstes linea licet ab anno 1712 denuo principalis splendescere coepit dignitate et 1753 a *Francisco* imperatore imperio vt

F 2

vo-

<sup>1)</sup> HENNIGES in mantissa ad Spec. II. de statibus imperii §. 13.  
p. 204.



votum consequeretur commendata fuerit, nihilominus domui *Schwarzburgicae* postposita est. m) §. XXI.

Mascule tamen eorum, qui non adimpleta adquirendarum possessionum immediatarum conditione ex vita decesserunt, heredibus, exceptione penes se, quo minus conditionem illam impleuerint, non stetisse se excusantibus ideoque voti continuationem petentibus, se se opposuerunt superiora collegia, praeprimis latus collegii principum seculare, idque contradictione sua effecerunt, ut non prius ad sessionem in comitiis readmitterentur, quam territoria qualiacunque adquisiuisse probauerant, quibus ad minimum ad hunc finem superioritas a domino territoriali commodata erat. m) Facili inde

m) *Moser von denen teutschen Reichsständen* p. 642. Si tamen dicendum quod res est, domus seren. *Schwarzburgica* non de novo demum votum virile consequuta est, sed ad voti eiusmodi a *Rudolpho II.* ei in diplomate quod extat apud LVNIGIVM part. spec. Cont. II. fort. III. Abtheil. VI. p. 298. concessi et a *Ferdinando III.* 1638. confirmati LVNIGCIL exercitium, quo ob contradictiones domus Saxonicae, famosis illis recessibus d. a. 1719. remotas, usque tum caruit, admisus est.

(n) Sic *Ferdinandus Josephus* qui *Maximiliano* principi Dietrichsteinensi successit, non prius ut continuaret votum admissus est, quam Dynastiam *Trasp* a domo Austriaca sibi cessam esse, probauerat.

*Averspergenfi* autem voto ideo dica scripta non est, quia oppidulo *Thengen* in comitatu Nellenburgico sito, promissionibus steterat suis.

Sic et princeps *Lichtensteinensis* dynastia immediata *Vaduz* et *Schellenberg* antequam ad votum continuandum admittebatur, reuersalibus suis satisfecit.

de negotio colligi licet, quales quantosue ad collaterales, a receptione alienos, votum iam extinctum transferendi conatus, inter status fuscitauerit motus, quos iustos omnino, legibusque amicos fuisse censeo, si receptio expressis verbis ad recepti descendentes restricta, aut in incerto positum fuerit, an receptio ad eos extendenda sit necne, territorio autem principalis dignitas non cohaesit, ita ut agnati peculiari extensione principalis dignitatis indiguerint. Non igitur mirum, principes seculares coelum Acherontaque mouisse, cum extinctis Philippi Ottonis principis Salmenensis descendantibus; diploma quod ei principalem dignitatem sequente tenore contulerat: *Dass alle des ersten Fürsten Philipps Otten Erbens Erben, welche die Grafschaft Salm innehaben Fürsten zu Salm seyn sollen, etiam ad agnatum extenderetur, eique et votum continuandum sequentibus Decreti verbis permitteretur: Nachdem Ibro K. M. allergnädigst befunden, wie das von Ferdinand II dem ersten Fürsten von Salm Philipp Otto d. 8 Ian. 1623 ertheilte Diploma des Fürstenstandes, auch auf den Rheingrafen Niclas Leopold gehe: als wollten Ibro K. M. ihm allergnädigst erlauben, sich des Praedicats eines Fürsten des Reichs zu Salm, nebst aller daran hangenden Praerogatiuen und Rechten nach dem Inhalt besagten Diplomatis und der bisherigen Observanz in allen Vorfällenheiten zu gebrauchen.* o) Quae quidem lis, tacita licet transactione, ut euangelici exercitio voti Salmenensis moram amplius non neferent, catholici autem voto Naßouico et Orientalisfrisco non contradicerent, inter vtraque religionum corpora finita sit, hunc tamen capitulationis Caesareae genuit locum:

F 3

Wir

o) MOSE R. Staatsrecht T. IX. p. 256.



Wir wollen Vns einer Prorogation und Erstreckung des von einer Linie eines Fürstlichen Hauses entfallenen Sitz und Stimmrechts auf die andre, so dergleichen nicht hergebracht, ohne obverstandene der Chur und Fürstlichen Collegiorum Einwilligung für uns allein nicht anmassen. o)

§. XXII.

Eo tamen in casu, si territorium ipsum possessores suos principali condecorerit dignitate, ut et si familia integra inter principes relata, tot possessionibus immeditais fruarur, quot ad sustentandam hanc dignitatem sufficient, nullus dubito, quin etiam ad agnatos, de quorum receptione non certo constat, ob regulam in §. XIX stabilitam, secundum quam in dubio et vota recentiora realia praesumuntur, votum transmitti possit. Ut autem veritatem et huius asserti ipsis rerum argumentis euincamus, exempla aliquot commemorasse iuvat, in quibus votum domui in genere dem Hause, dem gesamt Hause concessum, non solum ad agnatos, imo etiam ad extraneos translatum est. Transmissionis voti Nassouici catholici ad agnatos euan gelicos iam in §. XVI mentio facta est, notabilior autem et aequo minus ab vlo contradicita est successio regis Prussiae ex expectativa redundans in Friesiam Orientalem, ei que votum annexum, quam demum post, cum receptione voti catholici nouissimi contradiceretur, teste impugnatam legimus. p)

Antequam autem ancoram figere nobis licuisset, ratio instituti, ne eam mancam mutilamque linqueremus, flagitasset et de transmissione votorum quae insunt votis

cu-

o) Cap. Cae. Art. I. §. 6.

p) in eo quod hac occasione legatus Austriacus ad protocollum dedit apud Moserū p. 168.

curiatis, nec non ciuitatum imperialium paucula monere; quia tamen priora intuitu receptionis et translationis a virilibus non differunt, ideoque ex iisdem, quae dedimus principiis, diiudicanda veniunt, et votorum ciuitatensium transmissio cogitari nequit, actam iam et inutilem rem egisse videbamur, si ab ovo retro omnia repetiessemus.

§. XXIII.

Cronidis igitur loco de remedii, successoribus in territoria ad consequendum ius suffragii territoriis annexum competentibus, quaedam addere, nobis non abs re esse videtur, quia a cauto eorum vsu et non vsu, quieta possessio, nonnunquam autem et amissio huius iuris pendere solet. Concurrentibus pluribus de iure succedendi inter se litigantibus, neuter eorum prius adquietum iuris annexi exercitium admitti debet, quam sibi ius succedendi competere, imperio dilucide expedierit. q) Quo fit, ut lites eiusmodi non expirent, ideoque ii incaute agant, qui petitorio sese committunt, quo durante, votum non solum quiescit, imo nonnunquam e catalogo votorum penitus euaneat. r) Melius igitur sibi consulunt ii, qui vi-

q) Quae est causa eur votum Juliicense ab anno 1609. ad nostra usque tempora suspensum permanxit, licet enim 1666. domum Palatinam inter et Brandenburgiam conuenierit: *Wie sie dann nicht weniger ihr Besitz thun und sich dahin bearbeiten wollen, damit beyden Chur und Fürsten dieser sämmtlichen Lande wegen in Commitiis imperii einem jeden ein sonderbares votum cum debita sessione verfasset werde &c.* DUMONT *Corps Dipl.* T. VI. P. III. p. 117. contradictiones tamen domus Saxonicae conuentionem istam irritam fecerunt.

r) Celebris hic praetermittenda non est quaefio: an ius suffragii non usu perimitur? quae praeprimis tum ventilata est, quum



vitato illo Labyrintho, ex quo si unquam, serius tamen emergunt, ad remedia possessoria confugiunt, nactaque possessionem a iudiciis supremis, aut ab imperatore approbari, allaborant; quo facto, eis, usque lis in petitorio finita sit i.e. in aeternum, exercitium voti non denegari solet. s)

domus nonnullae, quibus diuersa, votis tamen carentia territoria parent, votis, territoriis suis olim competentibus, non restitutis, noua plane vota recipi, aegre ferrent. Restitutionis huius defensores, inter quos GRIBNERVS in D. de iure suffragandi usu intermissio non pereunte, in *Opusculis* T. IV. Sect. IV. p. 125. eminet, ius suffragandi rem merae facultatis, hinc nulli omnino praescriptione obnoxium esse urgent. Quod etsi verum esset, de quo tamen, quia ut in comitis compareant, status obligati sunt, non immerito dubitamus, ad eos tamen applicari nequit status, qui iis temporibus, in quibus ob diuera territoria et diuersis votis vti, in usum nondum abierat, vota in unum consolidari passi sunt, quis enim eos consuetudine a libera suffragandi facultate exclusos esse non cernit? Ut autem abolita illa consuetudine et stabilita iam transmissione votorum, vota non vnu perimi possint, nos illustre seren. domus Hasiacae docet exemplum, quae ob diuturnam de successione Marburgica item, duabus votis Marburgico et Rheinfeldenensi caruit et adhuc hodie caret. cf. *Kurze Information wegen Ergänzung derer dem Hochfurstl. Sammt-Hause Hessen ebendem zugestandenen beyden Reichs-Votorum in FABRI Europ. Staatskanzley* T. CVII. p. 222. et in *MOSERI teutschen Staatsarchiv* 1754. T. I. p. 425.

s) Extincta linea Saxonico Lauenburgica ducali, de successione inter domum Saxonicam, Brunswicensem et Anhaltinam lis enata est, ob quam certissime votum Lauenburgicum eandem cum Liliacensi expertum fuisset fortunam, nisi seren. domus Brunswicensis 1706. ab imperatore per decretum prouisionale in possessione voti et territorii tuitionem impetrasset. *MOSER von denen teutschen Reichsständen* p. 216. adde *EIVSDEM teutsches Staatsarchiv*. 1754. T. I. p. 503. sqq.

Quis iste caeli desuus aequore  
Exultat astris fulgor, Apollinis  
Propago, vietricique flamma  
Aethera peruolutat, diemque

Accedit auro? en Dina redux solo  
Astra caelo labitur, aureo  
Amicta nimbo, cui verendo  
Cana Fides Pietasque vultu

Limboque Virtus sidereo flagrans  
Pudorque terris se comites parant;  
Renidet orbis, entheosque  
Veris honor subiisse gressus

Festinat ultro; diffugunt nigrae  
Damnata nocti monstra, Calumniae,  
Fraudumque pestes, et malignae  
Insidia, suboles Aleitus.

Quum TV, reuindus tempora floridis  
Lauri corollis, ad Themidis sacra  
Stares sacerdos, atque auarae  
Persidia legerere vindex.

J, tende fortis, qua TIBI gloriae  
Virtute partae semita sternitur,  
TV V Mque nomen per remotos  
Fama vigil celebret nepotes.

CHRIST. GVIL. MITSCHERLICH  
Prof. Phil. Extraord.

scropen insipidum et non  
aridum, sanguis rufus et non  
tumidus, amplexus erector,  
suppositus, anterioris, anterius.

et excedens in luteo, luteus  
et excedens, luteus, luteus.

luteus excedens, luteus, luteus;  
luteus excedens, luteus, luteus;  
luteus excedens, luteus, luteus;

luteus excedens, luteus, luteus;  
luteus excedens, luteus, luteus;

luteus excedens, luteus, luteus;

luteus excedens, luteus, luteus;

CHRIST. CANT. MITOCHERETICN  
H. V. L. 1511

1785, 10

344

D. Frider. Aug. Schmelzer

Dissertatio Inaugur.

De exacta aequalitate inter utriusque religionis confortes  
per imperium Germanicum.



**ULB Halle**  
007 670 753

3



W/18





DE  
TRANSMISSIONE VOTI  
IN  
COMITIIS S. R. I. COMPETENTIS  
DISSERTATIO 1785, 9

QVAM  
ILL. ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

VT AD  
SVMMOS VTRIVSQVE IVRIS HONORES  
ADITVM SIBI APERIAT

D. VI APRIL. A. CICCI CCLXXXV

DEFENDET

AVCTOR

ADOLPHVS FELIX HENRICVS POSSE  
SONDERSHVSEN. SCHWARZBURG.

GOETTINGAE

LITTEEIS IOANN. HENR. SCHVLZII, ACAD. TYPOGR.